Cap. II. His igitur duobus orbibus tribuerunt duas animas motrices (ſi conſiderationem Phyſicam pertexant) eadem utramque proportione virtutis, ut eodem tempore periodos ſuas, in plagas tamen contrarias, abſolvant.



Alterum ſchema requirit duos deferentes (adhuc quidem immobiles, dum in hac motuum ſimplicitate manemus, mente removentes progreſſum apogæorum), & unum orbem, craſſitudine corporis Planetarii, in eoque orbe animam, quæ æquabili contentione illum circumagat in plagam eam, in quam a principio impulſa eſt. Conceſſa igitur hac ſoliditate orbium & reliquis aſſumptis, manebunt in primo ſchemate BC, BE, paralleli; in altero orbis γ ε circa β centrum ibit: etſi motores nec illic ad AC nec hic ad β reſpiciant. diriguntur enim materiali neceſſitate ſeu diſpoſitione & contiguitate orbium.

At qvia Tycho Brahe certiſſimis argumentis ſoliditatem orbium deſtruxit, quæ hactenus animabus illis motricibus (cæcis etiam) pro baculo ſervire poterat ad vim debitam inveniendam; & proinde Planetæ in puro æthere, perinde atque aves in aëre, curſus ſuos conficiunt; aliter nobis igitur de his ſchematibus erit philoſophandum.

Sit autem inter initia poſitum, vim omnem, qua motus hujusmodi adminiſtrantur, ipſius Planetæ corpus inhabitare, nec extra id quærendam.

Cum igitur Planeta inſita vi in puro æthere perfectum circulum conficere debeat, in primo ſchemate epicyclum, in ſecũdo eccentricum; manifeſtum eſt, duo motoris hujus fore munia; alterum, ut facultate polleat transvectandi corporis; alterum, ut ſcientia præditus ſit, inveniendi circularem limitem per illam puram auram ætheriam nullis hujusmodi regionibus diſtinctam: quod mentis opus eſt. Nihil mihi dicas, ipſam motricem facultatem, ſimplicis & brutæ animæ ſobolem, aptam natam eſſe ad circularem motionem, plane uti lapidis natura ſit per rectam lineam deſcendere. nego enim, ullum motum perennem non rectum a Deo conditum eſſe præſidio mentali deſtitutum. Et intra quidem corpus humanum omnes muſculi principiis moventur rectilineorum motuum: nempe aut in ſeſe recedendo turgent, aut diſceſſu capitum extenuantur; illic, ut membrum ad muſculum accedat, hic, ut recedat: quod idem &

idem & in circularibus muſculis ſuo modo locum habet, qui meatibus cuſtodes appoſiti, ubi filamentis circularibus extenſi fuerint, laxant meatum, conſtringunt vero iisdem in anguſtioris circuli figuram recurrentibus. Cap. II. Nullum adeo membrum eſt, quod æquabiliter & expedite gyretur. Flexus vero capitis, pedum, brachiorum, & linguæ, quibusdam artificiis mechanicis per multos rectos muſculos huc illuc transpoſitos vel attenſos expreſſi ſunt. Qua ratione efficitur, ut facultas motrix natura ſua in rectum tendens, membrum illud contorqueat in gyrum. Sic aquæ machinamentis quibusdam in ſublime aguntur, non quod natura corporis, quod motum infert, in ſublime tendat, ſed quia diſpoſitione canalium efficitur, ut pondere majore deorſum tendente aqua neceſſario ſurſum cedat. Quod ſi etiam perfecte circularis motus eſſet quorundam membrorum, at ii non ſunt perpetui. Nec mirum de eo eſſet, cum mens animali facultati præſideat in humano corpore. at certe, ſi via ulla fuiſſet facultatem aliquam motricem ſic inſtruendi, ut corpus aliquod gyrare poſſit, non fuiſſet in humano corpore neglecta.

Porro ut mens aliqua viam monſtret circularem citra metam vel centri vel corporis alicujus, quod pro acceſſu vel receſſu majore vel minore angulo appareat, id fieri nequaquam poteſt. Circulus enim iisdem & definitur & perficitur, æqualitate ſcilicet diſtantiæ a medio. & quantumcunque motrices hasce facultates extollas, circulus tamen ne Deo quidem aliud eſt quam quod jam dictum. Docent quidem Geometræ, datis tribus in circumferentia punctis continuare circulum: ſed hoc ipſo præſupponitur aliqua pars circumferentiæ (utpote per trina puncta iens) jam confecta. Quis ergo Planetæ hoc initium oſtendet, ex quo reliquum iter conformet? Itaq; fieri aliter non poteſt, quin Planetæ motor, ex Avicennæ ſententia, vel centrum orbis ſui ſuamq; ab eo diſtantiam ſibi imaginetur, vel alia quadam proprietate circuli præſtanda ad efformationem ipſius circuli adjuvetur.

Jam igitvr aliter nobis informabitur hypotheſis Phyſica horum duorum ſchematum. Nam in poſteriori, quod ſimplicius eſt; ſiquidem verum eſt quod poſuimus, motorem, qui Planetam per iter γ ε δ circumagit, in ipſo Planeta ineſſe; neceſſe itaque fuerit, in Planetæ motorem cadere quandam animadverſionem apparentis magnitudinis ipſius corporis in α, ex γ, ε, η, δ, inſpecti (vel quaſi inſpecti), propterea q; Planetam niti, ut & æqualiter incedat (quod præſtant integræ & non impeditæ motricis animæ vires) & omnes diſtantias, α γ, α ε, α η, α δ, ita ordine repræſentet, ut illæ ex eccentrico β γ ſequuntur lege Geometrica. quem ad finem ſcire etiam debet, quanto α γ longior ſit quam α δ, hoc eſt, quanta ſit eccentricitas viæ, quam confecturus eſt, a corpore, in α, circa quod iturus eſt. Quo pacto hic motor Planetæ in multis ſimul occupabitur. Si hoc quis fugit, igitur neceſſe eſt ut dicat, Planetam ad β punctum, quod omni corpore aut nota reali vacat, reſpicere, & æquales ab eo diſtantias tueri.

Prius